Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 335
Quelle:
Copyright:

relictus a *M. Thoma Haſelbachio* hoc rubro eſt: *Incipiunt addiciones ſuper poſtilla biblie Magiſtri Nicolai de lyra edite a R. patre Magiſtro paulo Epiſcopo Burgenſi in ſacra pagina profeſſore quas venerabili viro Alfonſo legum doctori Decano Compoſtellan. filio ſuo ex legitimo matrimonio ſuſcepto direxit premittens ei prologum ſub hac forma.* Tres filios habuit *Salomon Levi* Hebraeus *Hiſpanus*, quibuſcum chriſtianam fidem amplexus a. 1390. dictus eſt *Paulus*. Serio Hominem egiſſe, argumento ſunt munia geſta Epiſcopi *Burgenſis* et Archicancellarii *Caſtellae* et *Legionis*, et magis Opera ſcripta *Scrutinium Scripturarum* et *Additiones* noſtrae &c. quas a. 1429. abſolvit. Adi de eo Autores, quos excitat *Fabricius Bibl. med. Lat.* L. XV. v. *Paulus*. Init *Prologus* noſter legi digniſſimus: *Quid tibi vis ut viuens donem dilectiſſime fili* &c. Laudat in eo *Lirani Poſtillas*, addens: *quia tamen nullum opus humanum adeo perfectum eſt, quin ei ſuperaddi aliquid poſſit — expedire putavi aliquibus in locis aliquid additare, in illis permaxime, vbi ſanctorum doctrinas aliquatenus pretermiſſas conſpexi.* Meminit grato animo defuncti Regis *Henrici* III. quem *Curricum* non tantum Codex noſter, ſed etiam Edita mendoſe compellant. Extant enim *Additiones Pauli* in Bibliis gloſſatis, puta *Lugd.* 1545. f. ipſis *Lirani Poſtillis* per partes ſubjectae, neque eae ſolum, ſed *Replicae* etiam *Mathiae Doring* ſeu *Thuringii* O. M. ejusdem Sec. Scriptoris, in quibus *Burgenſis* Opus impotenter *Poſtillae Corruptorium*, ſuum vero *Correctorium Corruptorii* adpellat, rogatque, ut ſi dixerit *Burgenſem delirare, non recipiatur, ut blaſphemia, ſed ad literam, quod delirat, quia cum lira non concordat.* Duo jocularem Hominis bilem moviſſe credas, cum quod *Paulus* auſus eſt *Liranum* Inſtituti Franciscani Sodalem tangere, tum quod *Thomae Aquinati* multum innititur. Atqui ille e *Thomae* lectione de Veritate Religionis chriſtianae convictus fuit. Verum haec obiter. Codex noſter, qui omnes *Pauli Additiones*, earumque Παρεργα complectitur, *fol.* 250. p. 2. poſt *Pſalterium* hanc notam miniatam exhibet: *Baſilee in Concilio Generali vltima decembris.* 1435. Multum deſudaſſe in hoc Conventu Libratios, atque hoc beneficio *Codices* magno numero in diverſas *Europae* partes ablatos fuiſſe, variis exemplis doceri poſſit.

CCXXV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 246. quae tamen altera pagina intacta ſunt, f. max. magni olim *Eugenii Sabaudici*, exhibet ſplendidiſſimum in S. Biblia Opus, cujus haec eſt ratio. Praemiſſa Dei ſedentis, gremioque Globum terraqueum, quem circino metitur, tenentis icone a quatuor angelis circumdata ſuccedunt Picturae orbiculatae *Pentateuchum*, *LL. Joſue*, *Judicum*, *Ruth*, E. 2